

ANNO DOMINI MCX

VALRAMUS

EPISCOPUS NUMBURGENSIS

NOTITIA HISTORICA

(FAERIC. *Bibliotheca mediæ et inf. Latinicatis*, t. VI, p. 513)

Walramus, ab aliis scribitur *Waleiamus*, *Gualeiamus*, *Waliabonus*, episcopus Numburgensis ab a. 1090 ad 1110. Ejus sunt :

1. *Epistola ad Ludoricum*, Thuringiae Landgravium, qua ipsum monet ut, pontifice deserto, imperatori fidem exhibeat. Ediderunt eam Dodechanus in Appendice ad Marianum Scotum a. 1090; Baronius h. q., n. 8; Goldastus in *Apologia pro Henrico IV*, p. 54; Luniger in *Spicilegio ecclesiastico Archivi imperialis part. II*, Append., p. 446; Leuckfeldius in *Antiqu. Halberstadensibus*, p. 693. Verum Ludovicus, in responsione quam Herrandus episcopus Halberstadensis scripsisse dicitur, nostrum acerbe refutat.

2. *De unitate Ecclesie conservanda, et de schismate inter imperatorem et pontificem*. Inventus est primum ab Ulrico Hutteno et 1520 Moguntiæ, in 4° editus : postea Simon Schardius inseruit collectioni *De jurisdictione et auctoritate imperii*, primum illi locum tribuens : deinde Goldastus *Apologiae pro Henrico IV*, p. 53. Vide Jac. Burckhardum de *Vita Hutteni*, part. II, p. 28, et nostrum supra libro III, p. 420.

3. *De investitura episcoporum per imperatores facienda libellus in Collectione Schardii De jurisdictione imperiali*, n. 14.

4. *Epistolam ejus de S. Leonardo confessore* ediderunt Martène et Durand Collect. amplissimæ tom. I, p. 655. Data est autem ad serenissimam matronam dominam Gertrudem, quæ fuit, ut conjiciunt editores, Ecberti marchionis Saxoniæ (vel Misniæ potius) filia, relecta Henrici comitis de Northeim, avia Lotharii imperatoris.

5. Aliam *epistolam ad Anselmum Cantuariensem*, quæ in hujus Operibus p. 457 sqq. exstat additis notis p. 578, supra tomo I, p. 412, memorat Fabricius.

6. Ejus quoque *epistola ad Ecclesiam Bambergensem*, qua excommunicatum aliquem vitandum esse indicat, in codice Udalricano, tomo II Corporis scriptorum medii ævi Joan. Georgii Eccardi, p. 263.

Adde de ipso Acta et Facta præsulum Nuenburgensium in *Syntagmate Pauliniano*, p. 135; Sagittarii Historiam episcoporum Numburgensium § 44.

VALRAMI EPISTOLA

AD LUDOVICUM THURINGIÆ LANDGRAVII CUM REFUTATIONE

Quam sub nomine Lanogravii edidit Stephanus Halverstadiensis episcopus.

(BARON. *Annal. ad an. 1090*, n. 8.)

Hoc pariter anno, illustres confessores Catholicorum propugnatores ex hac vita migrasse Herimanum Metensem episcopum, et Adalberonem Wirzburgensem artitatem, Bertholdus affirmat; Egbertum marchicinem, nec non Bertholdum ducem pariter ex humanis sublatos strenuos propugnatores Catholicorum idem asserit. Unde patuit via ut Henricus imperator in Italiam denuo se conferret adversus Mathildem. Ita collabentibus in Germania rebus Catholicorum, data est occasio Valramo episcopo Magdeburgensi scribendi litteras ad Ludovicum comitem..... quibus hortatus est eum, ut deficiens a Catholicis Henrico regi inhæreret. Recitat eas Dodechanus in Appendice ad Marianum, simulque adversarias ei redditas, quibus scite prudenterque eadem causa disseritur, quarum in primis quæ data

A est a Valramo Magdeburgensi episcopo, sic se habet :

EPISTOLA VALRAMI.

« VALRAMUS, Dei gratia id quod est, Ludovico serenissimo principi, cum instantia orationum semper ipsum ad omnia devotissimum.

« Omni regno utilis est concordia, desiderabilis est justitia; haec enim virtus mater est probitatis, et conservatio totius honestatis. Qui autem, intestina grassando dissensione, ad humani sanguinis alios irritat effusionem, profecto vir sanguinum est, atque illius particeps, qui, nostrum sanguinem sitiens, semper circuit querens quem devoret (I Petr. v).